

tentiam visum in ordine ad colorem, non vero in ordine ad sonum: ita Deus hanc vim in-
natam dedit potentiae visuæ, ut statim posito
colore intra debitam sphaeram, remotisque im-
pedimentis, illum percipiat: quare verò requira-
tur illuminatio medij. iam ex parte dictum est
in superioribus, nimirum quia lumen valde ac-
cedit ad naturam coloris, & vice versa: quare re-
quiritur ut adiuuet visionem ex parte obiecti,
non autem ex parte medij, ut volunt quidam
animastici, sed de hoc dicemus suo loco. De-
inde dicam hanc esse conditionem necessa-
riam à Deo institutam, nimirum illuminatio-
nem medij ut diffundatur Sympathia potentiae
visuæ ad suum obiectum. Et hæc sufficiant ad
tollendas de medio species sensibiles impressas,
saltem pro sensibus externis, quamvis rationes
allatæ etiam valeant pro sensibus internis. Quo-
ad species verò intelligibiles, an debeant admit-
ti, aut non, id inuestigant Theologi in materia
de Angelis: sed nos ex professo in disputatione
16. seu vltima tractatus huius Physici.

Partitio IV.

De sensibilibus communibus.

Quid esset sensibile commune, quid pro-
prium, quid per accidens, dictum est in ini-
tione disputationis.

Nunc autem quedam occurrunt discutien-
da circa sensibilia communia. *Primum* erit de
eorum numero: *Secundum* an sensibilia com-
munia percipiantur à sensibus per propriam
speciem? *Tertium*, an erret sensus circa sensibi-
le commune tantum, vel etiam circa sensibile
proprium?

DECISIO PRIMA.

Resolutio: constans est Philosophorum opi-
nio post Aristotelem quinque esse sensibilia
communia scilicet motum, quietem, nume-
rum, figuram, & magnitudinem: ratio est, quia
quinque prædicta percipiuntur à sensibus, & non
ab vno tantum, sed à pluribus. ergo sunt
quinque tantum, nec plura nec pauciora: quod
non sint plura facile est probare, colligiturque
ex eo, quod cætera sensibilia communia sub illis
quinque prædictis contineantur, ut patebit
ex solutione obiectionum. Dixi ipsa percipi à
pluribus sensibus; nam motus v.g. percipitur
& à visu, & à tactu: item & quies, numerus eti-
am à visu, & auditu: percipit enim numerum
auditus, & diuersitatem sonorū, ex quibus Har-
monia componitur: item figura, & ipsa magni-
tudo videtur, & tangitur.

Obijcies tamen *primò*: priuatio non potest
esse sensibile commune, sed quies est quædam
priuatio: item motus constat ex partibus præ-
teritis, & motus non percipitur nisi à memoria,
quæ memoria est præteritorum, ergo &c.

Respondeo quietem *primò* sumi pro ipsa
priuatione motus, quo pacto non est sensibile
commune: *Secundo* sumitur pro permanentia,
& consuetudine rei, quo in sensu est quid verè po-
sitivum, & sensibile commune: item motus su-
mitur pro fluxu formarum sumptæ, sicque non

est sensibile commune: *Secundo* pro re quæ mo-
uetur, sicque est sensibile commune, & tunc
non est præteritorum.

Obijcitur *secundo*: asperum, durum, in-
æquale, & huiusmodi percipiuntur à sensibus,
ergo plura sunt sensibilia communia, quàm
quinque allata.

Respondeo illiusmodi sensibilia contineri
sub prædictis, nam inæquale, durum, &c. con-
tinentur sub ipsa figura, aut magnitudine: per
magnitudinem intellige corpulentiam rei: per
figuram verò rem ipsam terminatam.

Secunda proposita difficultas tantum ha-
bet locum apud eos, qui admittunt species sen-
sibiles impressas; apud eos enim solemniter con-
trouertitur, an ut percipiantur obiecta sensibi-
lia communia, necesse sit dicta obiecta emittere
propriam sui speciem distinctam à specie pro-
prij sensibilibus? v.g. dum intueor parietem hunc,
an necesse sit, ut color emitat propriam colo-
ris speciem? & præter hoc an etiam figura parie-
tis emitat propriam speciem distinctam à specie
coloris. D. Thomas negat in *secundo de anima*
lect. 13. affirmat verò Scotus in *quarto dist. 12.*

DECISIO SECUNDA.

Resolutio: Verisimilius est, etiam sequendo
opinionem admittentium species impres-
sas, quòd sensibilia communia non producant
species entitatiue distinctas à speciebus proprij
sensibilibus, sed tantum modificatiue distinctas;
aliud enim est dicere entitatem alicuius rei, &
aliud est dicere modificationem illius rei, sensi-
bile ergo proprium producit entitatem illius rei,
& sensibile commune modificationem illius rei,
scilicet speciei.

Probatur verò quòd non sint plures spe-
cies. *Primò*: Quod videtur per modum vnus
coniuncti, videtur per vnā speciem: sed com-
mune, & proprium sensibile videntur per mo-
dum vnus coniuncti, ut experientia constat,
ergo per vnā tantum speciem: Confirmatur
maior; quia vna visio non habet nisi vnā spe-
ciem; sed vnā eademque visione videtur sensi-
bile commune & proprium, ergo per vnā tan-
tū speciem. Confirmatur iterum: vbi est vna
tantum species expressa, ibi est vna tantum im-
pressa: sed in visione communis, & proprij sen-
sibilis est vna tantum species expressa, quia vnus
visionis est vna species expressa, & hoc est cer-
tum.

Probatur *secundo* resolutio: si videretur
sensibile commune per speciem distinctam, pos-
set videri absque proprio sensibili, sed hoc non,
ut docet experientia, ergo neque prius.

Dixi tamen modificatiue esse diuersam spe-
ciem, & hoc manifestum apparet v.g. in trian-
gulo; nam ex triangulo colorato fiat quadrā-
gulum, eundem habens colorem, quem habe-
bat antea triangulum. non erit entitatiue diuer-
sa species illius trianguli, & quadranguli quoad
colorem; quia eiusdem coloris eadem est spe-
cies: in vtroque autem est idem color, ergo ea-
dem entitatiue species. Quòd verò sit modifi-
catiue diuersa, nemo negabit, quia videmus
aliud esse triangulum, & aliud quadrangulum:
at si esset eadem modificatiue species vtriusque,
tunc

Num. 17.
Quinque
sunt sensibi-
lia commu-
nia.

Num. 18.
Sensibilia com-
munia non
imprimunt
sui speciem.

Prob. primò.

Probatur se-
cundo.